



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260



I

DEMONSTRATIO
EVANGELICA:
AD SERENISSIMUM
DELPHINUM.
PRÆFATIO.

I. OPERIS hujus argumentum, II. & occasio. III. Probari potest Religionis Christiane veritas eo genere demonstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstrationes ipsæ geometricæ. IV. Ad faciendam fidem inanis est sine gratia Dei omnis argumentatio. V. Ecclesie arbitrio & potestati Opus hoc permittitur.

I.



OSTQUAM Christianissimi Regis, parentis tui, jussu factum Opera hujus argumentum, est, LUDOVICE DELPHINE, ut ad literarum, & sapientiæ studia opera nostra uterere, gavissus sum equidem plurimum, cum intellexi institutionis tuæ curas in id potissimum conferri, ut timore Dei, unde omnis proficiscitur sapientia, animus tuus ante omnia subigeretur: quo & veræ hujus, ad quam contendis, eruditionis compos fieres; & majorum tuorum, ad quorum imitationem jam assurgis, pietatem referres. Et verò cum in te Deus plurima & amplissima beneficia larga manu contulerit, eam generis claritatem, cui, si fidem sequimur Historiæ, neque decurratur ad fabulas, parem in tanta vetustate splendorem jactare nulla gens potest; Patrem ad multorum invidiam, ad omnium admirationem verè magnum, sic tanquam propositum tibi ob oculos, nunc bene agendi, olim etiam bene regnandi exemplar; formam corporis eximiam, & destinato tibi imperio dignam; laudis appetentem animum; liberale ingenium atque solers, quodcumque vult facile complectens, nec jam iis solum quibus ad humanitatem institui pueritia solet, sed interioribus etiam doctrinis informatum; candidos mores ac suaves, decenti gravitate temperatos; præclaram ad virtutem indolem, & magnarum etiam jam inde à parvulo rudimenta virtutum; tanto magis elaborandum est, ut tot donorum auctorem agnoscas, & ad ejus timorem ac cultum exciteris. Quod quamquam ultrò ipse facis, & singulare præ te fers studium pietatis, adjuvanda tamen hæc tua voluntas est, ut Deum quem sponte colis, jure abs te coli scias. Itaque ne muneri huic deessem, cujus in partem fueram ascitus, dedi operam, ut quæ sinceris documentis, & accurata disciplina menti tuæ indita est & impressa Dei notitia, eadem tibi hac scriptio traderetur. Quæ scriptio, tametsi ad primam hanc, quam vix tua designat ætas, adolescentiam minus accommodata videri potest, utilis erit certe in consequentes annos, postquam progressu temporis, usu rerum, & lectissimis præceptionibus roboratus animus tuus ad majora se attollet.

Interea dum adoleverit, & maturitatem suam fuerit affectus, grassantem in dies

A

PRÆFATIO.

2

impietatem oppugnabit Liber iste, & quæ temere ac sine ratione abjicitur à multis Christi fides, eandem ratione retinendam esse ostendet. Ea quippe est ætatis hujus corruptela, ut si quis præter solitum sapere videri velit, tum id se adepturum speret, cum vaticiniis Prophetarum, & Christi sanguine ac miraculis fundatam Religionem, tot gentium consensu receptam, tot virorum doctorum lucubrationibus assertam, magna sibi cura à parentibus traditam, nec penitus tamen sibi perspectam, homo in ejus gremio natus & educus, mediocri fortasse ingenii, parum doctrina, temeritate satis instructus pessumdat, & sic tanquam subdolorum hominum figmentum, errorem stolidorum, solertiorum ludibrium traducit ac proculcat. Quod si quis rem maturiori disquisitione dignam censer, ad ejusque examen plus aliquanto vel solertia confert, vel eruditionis, vel diligentia; sic fere tamen ab animo paratus accedit, ut quantumlibet futile argumentum, divinationem, suspensionem, conjecturam, rumorem, sophisma, adversus Religionis Christianæ veritatem valere velit, pro eadem, nullus idoneus videatur esse testis, nullus auctor satis locuples, nulla satis firma probatio; vixque tandem *ἡ ἀσπίς* epicherematis, ac ne vix quidem, difficilis & fastidiosus disceptator concedat. In hujusmodi trutina examinata Religio, justo quippe apparet esse levior levibus & iniquis ingeniiis. Atque hoc porro nequitia omnium seminarium est. Quæ enim non se pronipit ac projicit cupiditas, cum despiciatui habetur criminum inspector & ultor Deus? Quapropter ne serpat longius ista vitiorum labes, fibræ primum ipsæ impietatis elidendæ sunt: cujus tutissima cautio hæc est atque provisio, ut adducantur in contrarium rationes, quibus innititur Christiana Religio, suisque momentis æstimentur. His enim probe confirmatis, & veritate perspecta, falsitas omnis evanescat necesse est. Utilem in iis colligendis impenderunt operam, cum præci Ecclesiæ Patres, tum viri eruditi complures, nostra, & patrum nostrorum, avorumque memoria. Ego unicum selegi de multis argumentum, ex Prophetiarum eventu conflatum, quod proposui hoc Opere, & quo olim ad retundendam Judæi cujusdam, viri acuti sane & subtilis, contumaciam usus sum.

et occasio.

II. Cum enim essem Amstelodami, & Judæorum, quorum magna est his in locis frequentia, ritus ac mysteria penitus introspicere vellem, ad eum deductus sum, qui tum inter illos peritissimus, ac totius Judaicæ disciplinæ consultissimus habebatur. Multa inter nos de doctrina ipsorum, deque nostra, ultro citroque agitata sunt. Cumque discentes nox oppressisset, sequenti die convenimus, atque inde porro tertio, sicque nobis totus mensis adeundo, colloquendo, disputando contritus est. Memini autem aliquando me eum audire, cum diceret levia esse & infirma, quæcunque adversus Judæos Christiani veteres scripsissent, Justinus puta, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius, & alii bene multi; nosque in sacris Voluminibus explicandis hebetes esse & plumbeos. Respondebam ego Judæos ipsos anilibus fabulis, & putidissimis figmentis sanctum Dei Testamentum deformasse: ex iis vero argumentis, quibus partes suas tutati sunt Christiani, vel id unum ad revincendam adversariorum perfidiam satis esse, quod è vaticiniorum complemento peti solet: levi id fortasse manu & perfunctione missum non alitè penetraturum; quod si torqueretur validius, nulla arte vitari, nulla vi sustineri possit. Ridebat ille, ut est superbum & procax hoc hominum genus, & mirari se dicebat Christianorum omnium supinitatem, meamque potissimum, qui telum hoc, quod nobis Prophetiæ subministrant, futile ipsum sponte sua & imbelles, à nostris etiam jactando sæpius & intentando obtusius factum; repellendo vero, à suis fractum penitus & contritum, denuo ad se perterrendum in manus fumerem: cur de me sperarem autem, quod nec præstitisset Ammonius in libro de consensu Moysi & Jesu; nec deinde Theodorus in libro ejusdem argumenti; nec Aristoteles Pellæus in Disputatione Jasonis & Papisci; nec Origenes in libris contra Celsum; nec alii quamplurimi Christianarum partium pugiles; nec Apostoli ipsi & Evangelistæ, nec caput ac Princeps Apostolorum Petrus, qui Christianos collaudat, quod ad propheticum sermonem, sic tamquam ad lampadem in caliginoso loco lucentem attendant, firmissimum quippe id esse Christianæ causæ præsidium; nec Jesus ipse denique, qui per tam crebras iterationes doctrinam suam Prophetarum testimonio prætexebat: Judæos itidem & Ethnicos argumentum id floccificasse, nec eo fuisse à crucifigendo Jesu, & divexandis Christianis absteritos: inanem itaque sumere me laborem, nisi demonstrationibus, vel probabilissimis certe argumentis pugnarem. Atqui *ἡ ἀσπίς* esse respondi argumentum illud, siquidem ordine ac ratione tractetur; *ἡ ἀσπίς* *ἐν ἀνδραγαθίᾳ* à Paulo appellari; quod vero ducitur ex miraculis, *ἡ ἀσπίς* *ἐν δυνάμει*, ex Veteris porro Testamenti prædictionibus, in Novo exitum nactis, apparere Testamenti utriusque coherentiam & concordiam; atque hinc etiam utriusque, ac Christianæ proinde Religionis, quæ iis incumbit, veritatem liquidò extare; asserta

1. Pet. 1. 19.

1. Cor. 2. 4.

tantum Christiana Religione reliquas sectas corruiere, ut in iis convellendis nulla deinceps opera collocanda sit; brevissimam igitur hanc esse & simplicissimam veritatis aperiendæ viam, addebam etiam tutissimam; ut pote quæ constat hoc genere demonstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstratio quævis geometrica. Miraris, inquam, confidentiam meam; & merito sane: novum quippe illud est & paradoxum, tam certo sciri posse res huiusmodi, opacas sponte sua & obscuras, quam quæ sciuntur κατ' ἑπιστημονικὸν λόγον. verum id tamen esse rebus addicam necessariis.

III. Scitum est Philosophorum omnium, talem esse demonstrationem, qualia sunt principia demonstrationis. Demonstrationem appello, quam Aristoteles ἀπόδειξις, ratiocinationem videlicet quæ veris & primis constat, vel iis quæ ex primis & veris quibusdam cognita sunt. Etsi non me fugit haudquaquam satis probari purioris Latinitatis studiosis, ut ἀπόδειξις hoc sensu demonstratio appelletur. Verum hac dictione, aliisque vulgò receptis abuti per Orbilios & Palamones nobis liceat, cum aliæ commodiore in præsentia non suppetiant. Cum igitur eadem sit vis demonstrationis, qualis est principiorum, non plus geometricis demonstrationibus adjungendum est fidei, quàm principii ipsi Geometricis adjungi solet; quibus si dubium inerit quippiam vel subobscurum, Geometriam universam pervadet labecula isthæc. Geometricorum autem ipsorum principiorum fides omnis à nativâ ipsorum evidentia & claritate pendet, qua collustrata mens nostra facillimè iis acquiescit. Fidei itaque & exploratæ cognitionis, tam principiorum istorum, quàm reliquorum omnium, fons & origo, κερτήριον & norma, si qua est, perspicuitas profecto ea est, qua animis nostris veritas illorum nota sponte sua & aperta est: quæ si in Theoreticis posita sunt, Principia; si in moralibus, Dictata naturæ appellantur. Quæ plurimum ergò demerentur fidem, majiorque omnium admittuntur consensu, clariora ea esse & certiora fatendum est. Adeo ut quod de probabilibus dixit Aristoteles, de veris merito dici possit; vera nempe esse τὰ δοκούντα πάντων, ἢ τῶν πλείστων, ἢ τῶν σοφῶν, & τῶν πλείστων, ἢ τῶν πάντων, ἢ τῶν πλείστων, ἢ τῶν μέγιστα γνωστέων καὶ ἐπιδησίων. Quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus: atque iis, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis & claris. Nam cum ait vera esse, τὰ δὲ ἀντὶν ἔχοντα τὴν πίστιν. Quæ habent fidem à seipsis; nempe apud homines fidem habere vult. Quæ igitur apud plures homines habebunt fidem, veriora esse necesse est. Itaque Sallustius Philosophus, cum Axiomata, sive Notiones communes definire vellet, eas esse dixit, quas omnes homines veras esse faterentur. Nec aliud sanè nomen ipsum indicat. Atqui theses quædam morales & practicæ, sive positiones, sive principia appellare mavis, vel experientia, vel historica fide nixæ, plures assentientes habent, pauciores repugnant, quam principia geometrica. Rem exemplis illustrabimus. Constantinopolim primariam Turcici imperii urbem, esse ad Bosphorum Thracium sitam, pro certo & comperto habemus, quam neque ego vidi, neque fortasse tu. Augustum olim Romæ imperium tenuisse in confesso est apud omnes, quem hominum qui vivunt nullus vidit omnino, & ex libris tantum ac fama novimus. Digitum adnotum igni adustum iri, nemo homo est tam stipes aut bardus, nemo tam opiniosus & pertinax, qui non fateri malit, quam experiri. Quis futurum dubitat, ut ver hyemem excipiat, æstatem autumnus consequatur? Quis adeò refractarius & pugnax in disputando, quæ gens est adeo barbara, quæ Solem occasurum, quæ se aliquando morituram non agnoscat? Nemo se cogitare, se esse, se hominem esse, se ex muliere, se ex hac muliere natum esse, se corpore præditum esse, se capite, pedibus, manibusque instructum negare ausit. Atque hæc quidem ita credimus, ut pro eorum veritate fortunas omnes velimus, vitamque adeò ipsam pacisci, & ex eorum explorata noticia res nostras componamus. Geometrica verò principia pro veris habent acuti tantum quidam & subtiles viri; reliquorum hominum magna pars ne capit quidem; nonnulli etiam præfractæ negant. Cum Augustinus olim inter Philosophorum, Christianorumque dogmata incertus diu multumque fluctuasset, tandem ad Scripturæ sacræ veritatem amplectendam hac præcipue ratione adductus est, quod sibi videretur ineptum tam multa credere, quæ neque vidisset, neque cum gererentur affuisset, velut in gentium historia, in locorum & urbium descriptionibus; fidem habere medicis, amicis, aliisque multis, sine quorum ope vita haudquaquam vitalis esse potest; pro certo denique habere se his ortum esse parentibus, quod aliis duntaxat renuntiantibus cognovisset, Libris vero sacris derogare fidem, quorum auctoritatem omnes fere gentes suscipiunt. Rusticum consule de vicibus temporum, de Solis ortu & occasu, sine ulla dubitatione respondebit, nec à dictis facta abluent; arabit, feret, metet, reliqua, prout postulabit tempestas, administrabit; quære utrum duæ rectæ lineæ spatium comprehendant, necne; quære, si in duas rectas lineas altera recta incidens internos angulos, & ad easdem partes sitos, minores faciat duobus rectis,

Probari potest Religio-nis Christiana veritas eo genere demonstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstrationes ipse geometrica.

Aristot. Topic. lib. 1. cap. 1.

Aristot. Topic. lib. 1. cap. 1.

Sallust. de Divis & mundo cap. 1.

August. Confess. lib. 6. c. 4.

utrum dñe illæ rectæ in infinitum productæ ex ea parte concurrent, in qua sui sunt anguli minores duobus rectis, hæsitabit scilicet, titubabit. Principia geometrica Academici repudiant, repudiant & Sceptici, multaque iis confutandis subtiliter & erudite differunt: dictatis tamen naturæ, & præceptis moralibus, quæque sunt ad vitæ usus opportuna, obsequendum esse censent. Democritus adversus demonstrationes acriter decertavit, usque Canones suos opposuit. Plurima adversus easdem collegit Sextus Empiricus. Ratiocinandi artem Epicurus aspernabatur: Geometriam vero, & reliquas artes Mathematicas, ut pote à falsis initiis profectas, veras esse non posse dicebat; idemque ex mente Epicuri pronuntiat L. Torquatus apud Ciceronem. Alia via adversus Geometriam grassabatur Zeno Epicureus, imperfecta ejus esse docens initia, unde nihil effici posset, nisi alia quædam adjicerentur, quæ in iis prætermissa sunt: quam ejus sententiam toto libro confutare conatus est Posidonius. Quamquam & alii prodierunt subinde, à quibus querela eadem instaurata est. Quin etiam à Mathematicis nonnullis in controversiam vocata sunt Geometriæ principia, ut ostendam deinde: eaque nuperrime oppugnavit acriter Hobbefius Anglus. Qui fidem principis moralibus à me propositis, eorumve similibus detraheret, adhuc repertus est nemo. Utra ergo certiora dicenda sunt? moralia certe; siquidem æqua est eorum disceptatrix & judex humana ratio, cujus nutus & decreta, non ex ingeniosorum aliquorum effatis, sed ex univerforum hominum, cum acutiorum, tum tardiorum consensu existimantur. Ut quod Josephus de Historia, nobis de Principiis illis fari liceat: *ἡ μὲν γὰρ ἀληθεύς ἐστὶν ἡμῶν ἱστορία, ἡ δὲ τῶν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων τὰν τῶν ἀλλοτρίων καὶ ἑσπερίων καὶ ἑσπερίων. Indicium enim est vera historia, si de rebus iisdem omnes eadem & dicant, & scribant.* Elegantius etiam Cicero: *Omnium consensus, nature vox est. Quod si igitur æque explorata est moralium quorundam principiorum veritas, ac geometricorum, demonstrationes itidem morales, quæ ab his capitibus fluunt, haud minus certæ erunt, ac demonstrationes geometricæ. Atqui Religionis Christianæ veritatem demonstrari posse aio ex iis principis moralibus, quibus fidem experientia magistra conciliat, quæque nemine adhuc tradicente, & tritissimo ac pervulgatissimo omnium usu & consensu recepta sunt. Quidni vero, cum & virtutem ipsam per principia, per postulata, inquam, & hypotheses perinde tradi posse probaverit Plato in Menone, ut Geometria tradi solet? cum de Officiis Marco filio præcepta tradens Cicero, quo facilius quæ posuerat explicaret, Geometricarum morem sequi se velle dixerit, quædam ut sibi concederentur postulando? Quæ cum dixissem, tum illud quod è vaticiniis ducitur argumentum, in eam digessi formam, quæ esset *ἡ ἀποδείξις τῆς ἀληθείας τῆς θρησκείας*, sicque ejus explicata est à me ratio, ut multum de sua pertinacia adversarius meus remittere videretur.*

Cic. 1. de fin.

Joseph. lib. 1. contr. Apion.

Cicer. lib. 1. Tuicul.

Cicer. lib. 3. De offici.

Ad faciendam fidem inanis est, sine gratia Dei, omnis argumentatio.

Ebr. 11. 6.

Plat. lib. 7. De legib.

IV. Hoc qualecumque est, tibi, Serenissime DELPHINE, fufe exposui hoc Libro, multaque præterea per otium meditata & collecta adjeci. Argumentum ipsum quidem vetus est, at argumentatio nova. Quotusquisque enim est, qui Christi fidem propugnans, Prophetarum oracula non allegat? Et merito quidem eorum obducitur auctoritas: hoc est enim adversus impiorum assultus tutissimum perfugium, & velut ancora sacra. Quamvis autem nostræ Religionis elucescat inde manifeste veritas, nullæ tamen ad capeßendam fidem sufficiunt argumentationes, nisi accedat gratia Christi, cujus solius ope fidem eam consequimur, sine qua, juxta Pauli decretum, placere Deo non possumus. Merum quippe ea Dei donum est, non rationis nostræ factus. Duplex est siquidem via, per quam in animos nostros illabitur cognitio rerum; alia sensuum ac rationis, alia fidei: obscura illa, anceps & fallax, ad veri notitiam malefida & intuta, infinitis obseptæ Philosophorum tricus & quæstionibus; clara hæc, aperta, & constans, præluens animo, ejusque ancipites motus, & fluctuationes admissis cælesti lumine componens. Plane corneam hanc portam dicas, Poëtarum carminibus celebrem; eburneam alteram. Cui fidem largitus est Deus, probationes non requirit: qui fide caret, nulla illi sufficit demonstratio. Neque vero ita ex ratione pendet Græcanica Philosophia, ut non fidei etiam alicujus necessitatem agnoscat: cum enim in rebus sacris promptum à Deo postulemus ad ejus dictata, nutusque, animi obsequium, parem in rebus civilibus Plato docilitatem desideravit; unamque hanc ex præstantissimis legem esse censuit, quæ vetat ne juvenum quisquam in leges inquirere audeat, & quenam bene constituta sint, quenam secus, definire; at unumquemque jubet eas sic tanquam à Diis profectas admittere. Nec aliter erga res divinas animatos esse vult; verum quæcumque super iis, etiam sine probabilibus vel necessariis argumentis credenda proponuntur, ea pronis accipi auribus & animis præcipit. Cum ergo salutem nostram Deus gratiæ suæ donum esse velit, & fidei nostræ fructum; idcirco non perspicias & certæ, sed cæcæ & hebetis rationis nobis concessit usum, ne manifestam sacrorum mysteriorum notitiam ratione adepti, fidem aspernaremur. At-

PRÆFATIO.

que ita Christianismo longe minus adversari videntur, quam existimatur vulgo, ex Philosophorum disciplina, quæ incertum habent ac dubium, quidquid sensuum & rationis ope cognoscimus, quæque sustinent se ab omni assensu. Sic enim præjudiciis expurgatos animos ac opinionibus liberos, Deo regendos, & fidei divinæ moderandos facile permittunt, *Consilia destruentes*, utar verbis Apostoli, & omnem altitudinem extolentem se adversus scientiam Dei, & in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Egregia multa in hanc sententiam variis locis dissentit Augustinus: velut istud in libro de moribus Ecclesiæ: *Unde igitur exordiar*, inquit, *ab auctoritate, an à ratione? Natura quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem precedat auctoritas: nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea per quam firmetur assumit: sed quia caligantes hominum mentes consuetudine senectuturum, quibus in nocte peccatorum visionumque velantur, perspicuitati, sanctitatisque rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat auctoritas.* Tum subjicit: *Nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri potuit, quam ut rationem precedat auctoritas.* Idem alibi: *Nisi esset & aliud credere, & aliud intelligere, & primo credendum esset quod magnum & divinum intelligere cuperemus, frustra Propheta dixisset: Nisi credideritis non intelligetis. Ipse quoque Dominus noster, & dictis, & factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea cum de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait, Hæc est aeterna vita ut credant; sed, Hæc est, inquit, vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Deinde jam credentibus dicit, Quærite & invenietis; nam neque inventum dici potest, quod incognitum creditur, neque quisquam inveniendo Deo sit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cogniturus.* Eadem inculcat passim; sed & totum De utilitate credendi librum scripsit. At neque locus patitur, neque res, ut plura congeram. Sed & viri ingenio ac eruditione præstantes subinde extiterunt, qui ut viam munirent doctrinæ Christi, prius ex hominum animis eradicandam censuerunt Philosophiam, & Scepticis ad id argumentis commode ac feliciter usi sunt: atque eo tutius, quod scirent, & aperte prædicarent, irrita fore eadem, vimque omnem amissura, si adversus Christianam disciplinam torquerentur: quippe cujus principia, non ab hominibus, rebusve humanis, sed à Deo ipso duerentur. Verum hæc alias. Quorsum igitur ista Demonstratio? nempe ad parandam, & confirmandam fidem, quam per scientiam gigni in nobis, nutrirî, defendi, ac roborari sciscit Augustinus; non quasi per propriam & præcipuam causam, sed ut per extraneum & ascititium adminiculum, quo in obsequium Christi, debitæque Christo fidei, mens nostra sensum hæcitur. Præterea cum fere mihi concertatio sit adversus impios, apud quos inanis est eorum principiorum auctoritas, quæ à Deo tradita & revelata sunt, & ex quibus Theologia nostra pendet, alia scilicet asciscenda fuerunt principia, nullis obnoxia controversis, & ab omnibus explorata cognita, & sine dubitatione percepta.

V. Deum optimum maximum oro ac veneror, ut Opus hoc ad nominis sui gloriam susceptum benigna gratiæ profequatur aura; nec laboris nostri fructum mendis & erroribus patiarur intercipi, quos mihi, sive per actuosum hoc vitæ genus & iniquies, sive per imbecillitatem, cujus mihi sum confcius, excidisse bene multos sentio & agnosco; Lectorumque sic corda temperet, ut omni pertinaciæ tumore depresso ad hanc veritatis disciplinam dociles se præbeant; atque ita paratis eorum animis, sic tanquam egregie subactis agro, bonæ frugis, sinceræ videlicet fidei semina committat; in me vero præclarum illud fidei suæ donum, quod pro immensa sua bonitate largiri dignatus est, probe confirmet & augeat: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hoc interim quidquid est operis, sanctæ Ecclesiæ, Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ arbitrio permitto; cui non in istam solum lucubrationem, sed & quascunque moliar olim, integrum jus ac potestatem esse volo. Sed nunc tandem agrediamur ad rem ipsam.

1. Cor. 10. 4. 5.

Augustin. de morib. Eccles. Cathol. cap. 2.

Augustin. ibid. cap. 25.

August. de lib. arbit. libr. 1. cap. 2. Isa. 7. 9. juxta LXX.

August. lib. 14. de Trin. cap. 13.

Ecclesia potestatis & arbitrio Opus hoc permittitur.

1. Cor. 9. 57.

